



OPERIS TOTIUS  
ET PRIORIS MAXIME PARTIS  
P R Æ F A T I O.

**U**it hæc mihi semper vitæ ratio ab ineunte ætate suscepta, meum ut omne tempus, & si quid unquam visum est in mea tenuitate vel facultatis, vel experientiæ, totum hoc Juventutis studiose commodis transmitterem. Nam me cum per tot annos instituendæ eidem, & ad bonas Artes liberalesque disciplinas informandæ divina Providentia præfecerit, non putavi tam operosam difficilemque provinciam rite obiri posse, nisi cogitationes omnes meæ, curæ, contentiones promovendo feliciter operi incumbere.

Nunc verò laboriosa jam pridem defunctus palæstra, & tranquillius tandem nactus otium videbor fortasse quibusdam imprefa relegere velle vestigia, & resumere artem, quam abjeceram; qui non modò retractare labores pristinos; sed eosdem in apertam lucem committere non verear. Tamen quis nesciat hoc esse fatum veteris consuetudinis, ut alterius naturæ vim habeat, quam deponere penitus non sit minus arduum, quam prioris naturæ sensus atque indolem oblivisci. Servire autem consuetudini pristinæ, hanc sequi, in ea se amare plusculum, nemo reprehendendum arbitretur, si quantum illecebrarum habet illa, tantum honoris ac gloriæ præ se ferat.

Porro supervacaneum sit hinc persequi operosius, quibus lenociniis humanitatis studia devinciant animos; quam ægrè divelli se ab iis patiantur, qui rerum istarum usum aliquem habent, & iisdem degustandis affluere. Nam cetera disciplina, inquit Tullius, neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum. Hæc studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Quòd

Quòd si culpandus nemo jure videbitur, qui annis etiam senescentibus elegantiores Literas impensius coluerit, vel ob id unum, quòd in iis excolendis reficitur animus & honesta voluptate perfunditur; quanto minus id ipsum vertendum dedecori, si quotquot politiorum Artium laude floruerunt, omnium ætatum linguis ac scriptis commendationem meruere? Atque ut abstineam ab amœnissimis illis ingeniis, quibus Literæ tanquam parentibus ac procreatoribus suum decus ac pretium debent; quæ Literis vicissim constantem tot ab hinc annis, & ad nos usque propagatam nominis sui celebritatem referunt acceptam, quo hodieque censentur loco eruditionis amantes bonæ, qui tritam veterum, cum Oratorum, tum Poetarum vestigiis viam ingressi, amœniores Musas invexerunt nostram in orbem, earumdemque desiderium & amorem feliciter promoverunt?

Nullus ergo mihi succenseat, si laudis ejusdem studio aliquem laborum meorum fructum cogitem decerpere, & nomen aliquod ab opella qualicumque nostra inter percupidos Liberalium Artium cultores promereri.

Quamquam absit hoc à me, ut in recognoscendis vulgandisque nostris opusculis, alio me incendi studio patiar, quam quo incendebar olim, dum illa primùm informarentur. Erudire Liberales ad Artes Juventutem illam, quæ disciplinam in nostram traditur, imbuere eandem optimis præceptionibus, quæ facilem aperiant aditum ad doctrinam capeffendam, acuere Candidatorum ingenium solertiamque variis Exercitationibus, quæ dicendi facultatem stylumque perficiant; unum hunc labores nostri finem, unum hunc exitum semper respexere; qui votis nostris quam bellè hætenus responderit, etsi non est meum confidentius dicere; faciunt tamen non poenitendi fructus, quos olim percepisse se ex nostra disciplina viri jam omnium Ordinum primarii profitentur, ut impensæ pro viribus operæ me non pigeat. Felix si prodesse studiose juventuti etiamnum possim, & quod præstare per me deinceps non est integrum, id ope scriptorum vicaria videar assecutus.

Hanc consilii mei rationem testabitur ipsa totius operis Inscriptio, BIBLIOTHECA RHETORUM, non tam speciosum nomen ad magnificentiam, quam plenum sincera voluntate bene merendi de Clarissimo Rhetorum Ordine, in quem aggregatum me aliquando fuisse, non solum honori semper duxi maximo, sed cum eodem fovere arctissimam necessitudinem non alia remagis, quam laborum eorundem communione ambiam.

Quamquam hoc ipsum Bibliotheca nomen, quod operi nostro præfigimus nemo incusandum putet, quòd ejusmodi appellatio illis vulgò Libris tribuitur, qui Scriptorum in quacumque Faculta-

te

te indicem ac seriem, aut elucubrationum ab iisdem Operum Epitomen continent. Nihil quidem simile quidpiam *Bibliotheca* nostra suscipit, cum nec ullam de prisca aut novis Rhetoribus faciat mentionem, nec editas eorum elucubrationes attingat. Verum cum universam Rhetoricam ipsius suppellectilem complectatur; adeoque homini Rhetori possit esse multorum Librorum instar, qui de rebus singulis ad Rhetoricam pertinentibus seorsum pertractarunt, quanto æquius *Bibliotheca Rhetorum* debuit appellari? Rhetorem enim verò, quem informare aggredimur, non unius Eloquentiæ præceptionibus imbutum esse oportet, sed paribus ad Poësim præfidiis assurgat necesse est. Hic porro quàm multiplex, quàm varia rerum seges se offert, quarum documenta non deprehendas, nisi multis diversisque sparsa voluminibus. Ille ergo Liber, qui hæc omnia sparsim disiecta sic colligat ac complectatur; ut amanti bonarum Artium homini sub uno quasi aspectu subjiciat, an *Bibliotheca* nomen nullo jure suo sibi vindicet? Certè usus hic etiam apud omnes invaluit, ut, si qui reperiantur homines tam feliciter instructi disciplinarum omnium cognitione, ut de re quaque sciscitantibus ac requirentibus satisfacere abunde possint, *Bibliotheca viventes* appellentur. Et erit qui nobis inferat Litem, quòd Opus hoc quaecumque nostrum: quòd juvandis imbuendisque omni præceptionum genere, ex quibus Rhetorica coalescit, Rhetoribus natum est totum, *Bibliothecam Rhetorum* inscripserimus?

Hac ego cogitatione defixus id unum studii præter cætera, ut, quæ scripsi cumque, hæc ad Juventutis indolem captumque accommodarem; neque tam novæ cujusdam & inusitata doctrinæ auctor, quàm veteris & in medio positæ interpretis & explanator viderer. Hinc in Rhetorica illa quam tradimus, & quæ primum in hoc priori rerum nostrarum volumine locum habet, multa putavi prætermittenda, quæ de Eloquentiæ commendatione, de præfidiis ad illam assequendam necessariis, de vario eloquentiæ genere, de Oratoribus tam Græcis, quàm Latinis passim disputantur. De quibus quoniam disertissimè scripserunt jam non pauci, eo lubentiùs indicta relinquimus, quòd ista ad contemplationem solam pertineant, non ad Exercitationem, quæ in instituendis Eloquentiæ Candidatis potissimum requiritur. Est enim hoc teneræ & imbecillæ adhuc ætatis ingenium, ut in mera rerum consideratione immori non amet, neque documentorum pondus ac fastidium ferat, nisi quantum eisdem utendi necessitas exigit.

Et verò magna est in omnem partem vis & utilitas Exercitationis, nec ulla re fortiùs atque efficacius præcepta ipsa inculcantur animis, quàm si ad usum frequentem revocentur. Atque

ut in

ut in iis artibus, quæ requirunt artificis manum, frustra cogitando meditandoque sudaveris, nisi ad eas artes exercendas ipsa manus accedat; ita nec ad capessendas Liberales Disciplinas multum conferat imbura mens multis præceptionibus, nisi ad imitanda, quæ didicerit, & opere complenda diligenter se accingat.

Nihil ergo facere se consultius posse existiment, qui gravem docendi provinciam obeunt, quàm si crebris Exercitationibus extendant eorum solertiam, quos erudiendos susceperit; meminerintque veteris illius Adagi, cui novam ipsa temporum diurnitas fidem adstruit, longum iter esse per præcepta, per exempla brevissimum. Hanc mihi ipse Juventutis etiamnum erudenda cupidissimus, sequendam imprimis esse duxi rationem; ut in tradendis Præceptionibus Rhetoricis brevior, in Exercitationibus prolixior existerem; cujus consilii neque levem, ut confido, fructum precipient Candidati Rhetores, neque ipsi fortè Magistrum inficiandam penitus utilitatem fuisse experientur.

Jam verò reddenda mihi ratio est: cur Ciceronem unum instituti operis ducem sequutus fuerim, neque aliam quempiam tam è Græcis, quàm è Latinis Oratoribus proposuerim imitandum. Dicam primum consulere me in primis voluisse brevitati, quàm multa cum auctoritatum tum exemplorum congeries non admittat. Non quòd eorum studium laudandum non putem, qui in adumbranda Eloquentiæ imagine varios totius antiquitatis colores curiosius scrutati sunt. At quo diligentius id fecerunt multi, eo supervacaneum magis visum est in opusculo brevi, quòd meditabar, eorum vestigiis insistere, & alienos labores invadere potius, quàm imitari.

Deinde visus est mihi semper unus Tullius instar omnium à quo germanæ sinceræque Eloquentiæ specimen mutuari oporteret: cujus in studio tanto feliciùs processisse gratulari sibi quis possit, quanto propius ad Ciceronem accedat. Atque hinc mihi dicere liceat quòd sentio de Latinis Oratoribus, qui post Ciceronis tempora floruerunt, & Panegyricorum Veterum Scriptores vulgò nuncupantur, Quos ego etsi minimè contemnendos puto, non tamen proponi ad imitandum ultro velim studiosæ Juventuti, quæ ad veram Eloquentiæ laudem adspiret. Habeant illi per me licet quadam Orationis lumina quæ perstringant oculos, & primo aspectu pariunt admirationem. Inveniantur apud eosdem multa ingeniosè excogitata, ornata copiosè, feliciter expressa. Sint illi solertes in adulando, in laudando magnifici. At quantula sunt ista ad ipsam Eloquentiam adjuncta, si oratio jejuna ac debilis, si pingui rerum succo destituta, si rationum momentis ac ponderibus vacua & inanis omnino sit? Si deprehendas nusquam vim illam inelucta.

luctabilem, qua persuadentur animi, & Oratoris ad arbitrium quamcumque in partem inclinantur.

His porro præfidiis dominabatur olim in foro Tullius, & Judicum religiones Senatufque auctoritatem regebat: dominabatur in civitate, & populorum voluntates ita moderabatur, ut vel excitaret languentes, vel furentes & effrenatos compesceret. His armis Catilinam ex Urbe sceleratosque conjurationis socios ejiciebat; his subsidiis furta Verris ac latrocinia revincebat, Antonium rerum potentem & summa potestate prædium perterebat, amicorum gratia ferrum è Cæsaris manibus extorquebat, Clientum controversias causasque defendebat, afflictæ innocentiae succurrebat, desertæ solitudini opitulabatur.

Tamen mirum est, quò processerit quorundam hominum fastidium, ut robustam hanc maremque Tullii Eloquentiam respuant, phaleratam exilemque, qua Plinius caterique ejusdem ævi Oratores floruerunt, unam deament ac confectentur, plusque in ea momenti ad ingenii & facundiæ famam, quam in ipsa Romani Oratoris imitatione esse existiment. Quod malum quanto ingeniorum ac studiosæ præsertim Juventutis detrimento serpat in vulgus, vel ex eo pronum est intelligere, quòd luminosum istud ac speciosum Eloquentiæ genus non modò fucum faciat rudibus & inexpertis rerum bonarum, sed compendiosior etiam videatur ad commendationem via; quia non tam assidui atque improbi laboris partus, quam felix quidam ac repentinus ingenii foetus esse solet. Terret autem plurimos immensus labor, qui Tullianam ad Eloquentiam adspirantibus adhibendus est; & infinitæ rerum segeti, quam offert, metendæ impares malunt lubricum minùs expeditiusque stadium cum certa, ut sibi videntur, gloria decurrere, quam in operoso difficilique curriculo, cum dubia & ancipiti laudis expectatione se se exercere.

Alia ratio est propter quam in una Tullii imitatione immorandum duxi, Stylus scilicet Ciceronianus, & nativa ejusdem, gravis ac numerosa imprimis Oratio: à qua optandum videtur, ut, qui Latine scribunt, & in elaborandis Orationibus versantur, tantopere non deflecterent.

Nescio enim quo malo Eloquentiæ fato fiat, ut, quæ jam pridem in Orationes Gallicas irrepsit lues, eadem contagione sua Latinas Orationes afflaverit. Placet hac ætate Oratoribus non paucis exile quoddam ac jejunum scribendi genus; cujus tota laus Antiphetis & acuminibus continetur; quod tam numero, quam majestate destitutum nihil objiciat menti atque auribus, præter vacuam & inanem verborum consonantiam, & putidam, clausularum similiter desinentium affectationem.

In hoc etiam plerumque vitium incurrunt, qui sententiosum & plenum

plenum acuminibus Stylum sectantur, ut in Latino sermone Gallici idiomatis indolem formulasque retineant, neque tam Romana lingua, quam patria loqui videantur. Quibus ab incommodis nullum est certius præsidium, quam si in assidua Ciceroniani Styli imitatione demoreris, neque alios promiscuè Oratores versandos ac terendos putes, donec ex longa ac quotidiana Tullianæ Orationis consuetudine succum ipsum coloremque Ciceronianum expresseris. Quæ cautio Tyronibus ac Candidatis tanto diligentius adhibenda est, quo recentes adhuc animi primas opiniones facilius imbibunt, & ab iisdem ægrius depurgantur. Est enim illorum ingenium non ab simile testis novis ac recentibus, quæ diu servant odorem, quo imbutæ primùm fuerint.

Hoc ipsum, quod præcipimus tantopere, an ipsi videbimur assecuti feliciter, eorum judicium & existimatio sit, qui Orationes nostras lecturi sunt. Id certè profiteri non dubitem, propositum mihi semper fuisse in scribendo Tullium; doliturus, ut fatear, quod res est, si duce sub alieno meruisse stipendia censeferi possim.

Tamen ne quis præclariùs sentiendum putet de nostris Orationibus, quam sentimus ipsi, aut illas proponi à nobis arbitretur, tamquam exemplar quoddam, cujus ad normam ac regulam exigi Oratio bona debeat. At quoniam Bibliothecam Rhetorum instruimus, prætermitti illud non oportuit, quod præcipuum est Rhetoris munus, & quò Rhetoricæ ipsius præcepta atque Exercitationes unice referuntur.

Duplex est autem hodiernæ Eloquentiæ genus; sacrum aliud, quod argumentis ad Dei cultum Religionemque pertinentibus continetur; aliud profanum, quod res cæteras, quæ cadere in contentionem possunt, tractandas suscipit. De utroque genere Orationes, ne quid deesset ad complementum nostri operis, instituendas duximus; confidentiùs fortè, quam par erat, qui vix nullum apud Latinos Oratores à sanctorum Patrum temporibus Eloquentiæ sacrae vestigium habeamus. Hic verò locus esset de Eloquentia cum sacra tum profana, & de vi utriusque, commodis atque incommodis, aut etiam prærogativo jure differendi, nisi hoc ipsum argumentum copiosè jam disputatum referret Oratio postremùm à nobis habita atque edita, cujus hæc Inscriptio legitur. *Utra utri præferenda sit, Eloquentia Sacra, an Profana.* Hanc consulat Lector curiosus, & quid super ea controversia sentiendum sit, judicium ferat.

Quod spectat ad Eloquentiam profanam, hæc ad tria Causarum genera vulgò revocatur; Primum Judicii, Secundum Deliberationis, Tertium Exornationis. Singulorum exempla abundè sufficet Collectio Orationum, quæ tam Panegyricis, quàm

Forensibus Causis in utramque partem agitatis continentur. Hoc verò genus Exercitationis quanti sit ad germanam Eloquentiam præsidii; quantum habeat ad informandos studiosæ Juventutis animos pondus ac momentum, præfixa Declamationibus istis Præfatiuncula suo tempore & loco declarabit.

Jam quia Rhetoris officium non solis Orationibus informandis coercetur, sed ad quamcumque se extendit scribendi rationem, operæ pretium fuit, præscribere varias in scribendo leges, quas ipsa argumenti varietas induxit. Neque enim in exarandis Epistolis adhibendus Stylus idem, quem Orationis gravitas ac majestas postulat: neque Narratiuncularum Fabellarumque simplicitas graviorem aut Orationis aut Epistolæ Stylum admittit. Varietatem illam, cum Epistolæ, tum Fabellæ, quas Orationibus apposuimus, Præfationes demonstrabunt.

Denique is sæpe Rhetori labor incumbit, ut Disputationibus Philosophicis ac Theologicis aperiat aditum eorum commendatione, quos honoris gratia oppugnandos habet; vel ipse de Rhetore factus postmodum Philosophus aut Theologus propugnandas à se Theses, aliqua adornare Præfatiuncula meditetur. Sunt qui Magistratum adituri, aut adepturi Magisterii Lauream habilem, qua pollent, Oratoris manum ad demerendos suffragantium animos adhibendam existiment. Occurrunt occasiones plurimæ in quibus Viris quocumque gradu primariis gratulari necesse sit. Nos ad conclusionem prioris illius Voluminis præscribemus leges Oratiuncularum istarum. Item & rerum fontes, unde illæ conflare commodè possint, tum & exempla omnis generis, ex quibus formam mutuari liceat, ex fundulo nostro sufficiemus.



# RHETORICA

## AD TULLIANAM RATIONEM

EXACTA.

PRÆFATIO BREVIS.

*instituti Operis Designatio.*



Um ad bene orateque dicendum tota, Tullio teste, nata sit Rhetorica, cujus Præceptiones ad Tullianam rationem exactas tradituri sumus; supervacaneum putamus, pro brevitate instituti Operis, vel de illius natura, vel de necessariis ad eam assequendam cum corporis, tum Ingenii præsiidiis disputare. Imò neque eum, quem vulgò tenent Eloquentiæ Magistri, sequemur ordinem; ut de Inventione primùm, deinde de Dispositione

Partium, tum de Elocutione ejusdemque Amplificatione atque Ornatu tractemus. Nam cum acuendus sit statim & exercendus Candidatorum Rhetorum stylus, eam docendi viam duximus potiore, quæ à facilioribus ad difficiliora progredieretur. Quare in Oratione, quam ad informandam ornandamque Rhetorica potissimùm incumbit, spectabimus Primò Elocutionem, Secundò Amplificationem, Tertio Ornatum, Quarto Argumenta rationesque, quibus Oratio nititur. Denique Argumentationem, seu rationum atque argumentorum dilatationem.

Primum præstabis, cum artem informandi Periodos cujuscumque generis trademus. Alterum cum easdem amplificandi modum docebimus. Tertium, quod Ornatu continetur, ex tractatione Troporum ac Figurarum planum fiet. Quartum, quod Argumenta spectat, ex Locis tam intrinsicis, quam extrinsecis petitis eruemus. Denique argumentationis partes singulas easque dilatandi rationem, quod est in Rhetorica longè difficillimum, ex-